DE

CVLTV DIVINO
INTERNO ET EXTERNO

RECTE IVDICANDO.

DISPVTATIO PHILOSOPHICA

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

AVCTORITATE

A. D. XI. MAII A. MDCCXCVI.

DEFENDENT

CHRISTIANVS WEISS

PH. D. AA. LL. M.

EIVSQVE FRATER

CHRISTIANVS BENIAMIN WEISS

LEGVM CVLT.

LIPSIENSES.

Theol. dogm: Luth.

VIII

LIPSIAE

EX OFFICINA SOMMERIA.

theol. evang.

87,72

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

DE

CVLTV DIVINO INTERNO ET EXTERNO

RECTE IVDICANDO

PROOEMIVM.

Si, quod commune est omnibus, necessitate quadam naturae nostrae inhaeret: nulla profecto re minus, quam diuino aliquo cultu, carere homines possunt. Quamquam enim et ipsae de summo numine opiniones, et modi, quibus pietatis sensum ei significandum esse arbitrati sunt, omni aetate maximopere inter se discreparunt: tamen, et esse naturam hoc rerum vniuerso celsiorem, et cultu aliquo aut in animi sensu aut in rituum sanctitate sito esse prosequendam, miro omnium gentium consensu confirmatum est. Quod cum ita sit, facile possit res ab omnibus sancte seruata sanctissima ipsa iudicari, idque eo magis, quo seuerius quidam populi illud Deum colendi officium exegisse, et quo saepius, qui ei se subtraxerint, impii, scelerati, imo athei habiti esse reperiantur. Atque omnino confitendum est, summae vel potestatis vel beneuolentiae cogitationem insigni aut admiratione aut reuerentia humanum animum non afficere non posse; vt tanto magis mirandum sit, quomodo hac inprimis aetate inueniantur, qui, si non aperte Deum esse negent, eum tamen nequaquam ad se pertinere rati, ab omni cultu, tanquam a puerili errore, abstineant. Quorum, si probi sunt, audienda eo cupidius sententia est, quo rarior iudicioque communi aduersior: aiunt enim, aut sublimiorem se Deum putare, quam qui curam habeat rerum mundanarum, aut, si eas respiciat, certe non hominem cogitandum esse, cui vel grati quidquam cul-

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id432299912/3 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

tus officio exhibeas, vel a quo beneficium vllum, quo forsitan non sis dignus, exores. Quibus etsi non statim adsentimus, habent tamen profecto aliquam speciem veri, atque ad rem ipsam accuratius perscrutandam inuitant, quemcunque hominem res humanae diuinaeque tangunt.

Hisce commotus, cum animum ad cultus dīuini notionem et dignitatem inuestigandam appulerim, non equidem ignoro, eam esse obiecti grauitatem, eas virorum doctorum, qui de eo disputauerint, laudes, eam denique auctoris tenuitatem, vt vix memet ipsum mihi, nedum aliorum iudicio satis probatum iri, sperem. At rei ratio atque aliquid nunc edendi necessitas animum paulum labantem leuauit, ac spem subdidit fore vt, quae tironis imbecillitas non fuerit assecuta, eorum culpam voluntatis sinceritate iudices compensent. Disputationem autem ipsam tum commode institui putaui, cum a rei propositae notione egressus ipsius primo naturam examinem, deinde, quis eius possit esse ambitus, quis finis, quae ratio ad animum humanum, ex sententiis ante positis illustrem.

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id432299912/4 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Caput I.

De religione theoretica, cultus diuini fonte.

§. 1.

Etsi recte praecipiunt, qui omnem disputationem a rei propositae definitione ponenda egredi volunt: tamen, vbi illa quadam obscuritate laborat, argumenti ratio cogit, ab ordine praescripto, in se satis apto, recedere. Cuius rei exempla ne longius petere videar, ipsius cultus diuini notio suppeditabit. Non solum enim id, in quo hominis vel virtutis cultum ponimus, loquendi consuetudo transtulit ad Deum; sed quodcunque vmquam excogitari potuit vel ad Dei virtutisque notionem pertinere, vel vtriusque causa esse agendum, id omne vsus, hic vere tyrannus, vna cultus diuini voce comprehendit. An vero haec quisquam potest similia iudicare, aut veluti formas ad idem genus referre? Imo primo adspectu luce clarius apparet, multa hic linguae vitia, multas dictionis tenebras esse remouendas. Ad quem laborem sese accingenti haud mediocrem successus spem affert cogitatio, in eo eorum omnium, quae soleant cultus diuini nomine appellari, aliquam esse similitudinem, quod ponant notionem Dei atque eorum, quae Deo tribuantur. Etenim aut rituum celebrationem, aut sacrorum oblationem, aut animi pietatem, aut ipsum denique virtutis studium ad Dei cultum referas, non poteris tamen vel ritibus honorare Deum, vel victimis placare, vel pietate tibi amicum conciliare, nisi quis sit, quidue ab eo aut timendum aut exspectandum, scias. Est autem scientia eius, quod de Dei natura et attributis nobis constat, *theologia rationalis* siue *religio theoretica*. Ergo hanc primum breuiter explicare oportet, vt deinceps, veluti aperta via, liberius de cultu disputetur, qui summo religionis obiecto conueniat.

§. 2.

Gratulor autem mihi hoc aeuum, quo philosophis diuina illa sententia inprimis probatur, in exponenda Dei notione rationem

practicam, quae dicitur, insignem prae theoretica tenere principatum *a*). Ea enim sola certo doceri potest, quod cuiuis legi, ex qua cogitamus, cuiuis desiderio, cui aliquis fortasse nos natos existimet, maxime conuenire scimus: esse naturam hoc vniuerso celsiorem, ad cuius vim atque voluntatem omnino omnia referre oporteat. Quaecunque sunt, quaerere videntur, vnde pendeant; at nihil est, quod arctius ipsi amplecti debeamus, nihil, quod seuerius postulet Deum, in quo omnis nostra cogitatio terminatur, quam lex moralis nobis innata. Illa enim, ad summam perfectionem instituta, dum eam nobis metam ponit, cuius assequendae humana, quae nunc est, natura ne leuissimam quidem spei speciem affert, aut a se ipsa deficere, aut vna ponere debet naturam infinitam, vi summa pollentem, sub cuius auspiciis et nos olim eo perueniamus, quo tendere iubemur, et reliqua ita dirigantur, vt fini nostro, h. e. bono morali obtinendo, inseruiant. Ecce autem non hominum tantum, sed totius naturae Deum; quae cum rationis efficaciam iterato impetu ac fere sola infringat: necesse est, a quo id exspectamus, cui natura omnis aduersatur, is eiusdem et auctor et gubernator agnoscatur, is omnigenae perfectionis summum exemplum cogitetur necesse est *b*).

Ita constat, esse Deum, quamquam non sic, vti de re in facto

a) Omnis de *primatu rationis practicae* disputatio, si recte intelligatur, ad haec fere momenta redire videtur: 1) *Non nihil agit ratio theoretica* tam in ponenda quam in exponenda Dei notione; 2) *Nec etiam omnis idea Dei moralis est*, neque, quod inde sequitur, omnis argumentatio, Deum esse, ratione practica conficitur. 3) Ita potius sentiendum est, vt, cum facilius omnia, (vitam, felicitatis spem, philosophiae theoreticae ideas,) renuntiemus, quam a legis moralis grauitate deficiamus, *maior sit huius in persuadendo auctoritas*, quam cuiuslibet argumenti aliunde petiti. Ergo non *chronicus* est primatus, vt in cogitando Deo a ratione practica egrediendum sit; neque *vniuersalis*, qui omne theoriae in ea re momentum tollat; sed *axiomaticus*, in quo omnis de Deo philosophia componatur, cff. KANT *Krit. der prakt. Vern.* p. 215 sqq. (edit. an. 1788.) HEYDENREICH *Propäd. d. Moralphil.* II, p. 194. sq.

b) Cum hoc loco Dei notionem iustam posuisse sufficeret, non videbantur haec primaria argumenti moralis, Deum esse, momenta, copiosius esse illustranda.

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id432299912/6 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

posita, non potest enim ens perfectissimum sensibus occurrere; at ea ratione constat, qua nobis de libertate morali, de animi immortalitate, de fine et rationis et huius vniuersi illi congruente persuadetur, hoc est propterea, quod, nisi positis illis, esse homines non possumus. Recte igitur negamus *scire* esse Deum, nullis enim rebus extra nos positis, nulla de iis cogitatione fuimus edocti; *credimus* autem, hoc est, propter eam animi cogitationumque necessitatem, qua a lege morali deflectere numquam licet, ratam habemus atque veram summae potestatis perfectionisque ideam menti nostrae obuersantem. Quam *fidem* c) si quis infirmiorem diceret veritate obiectiua, vix putaretur vtriusque naturam penitus cognovisse. Vt autem taceam, *obiectiue*, si proprie loquendum est, ne id quidem sciri, quod oculis cernimus manuue tenemus: *subiectivum* iam non id diximus, cui extra animum nihil respondet, (quae mera idea esset omni fundamento destituta), sed cui, quod respondeat, in rerum experientia (*obiectum sensibile*) non datur.

§. 3.

Iam posita, ratione duce, idea entis, a cuius vi atque voluntate infinitam ad perfectionem moralem appropinquationem exspe-

c) Eamdem esse cell. KANTII de fide practica, sententiam, inter alia (*Krit. d. reinen V.* p. 848 sqq. ed. quartae; *Krit. d. prakt. V.* p. 227. al.) inprimis persuasit illud *Krit. d. Urtheilskr.* ed. II. p. 462: „*Glaube (als habitus, nicht als actus,) ist die moralische Denkungsart der Vernunft im Fürwahrhalten desjenigen, was für das theoretische Erkenntniss unzugänglich ist. Es ist also der beharrliche Grundsatz des Gemüths, das was zur Möglichkeit des höchsten moralischen Endzwecks als Bedingung vorauszusetzen nothwendig ist, wegen der Verbindlichkeit zu demselben als wahr anzunehmen. — Er ist ein freies Fürwahrhalten, nicht dessen, wozu dogmatische Beweise für die theoretisch bestimmende Urtheilskraft anzutreffen sind, noch wozu wir uns verbunden halten, sondern dessen, was wir zum Behuf einer Absicht nach Gesetzen der Freiheit, annehmen.* cet." Eodem pertinent, quae *Reinhold*, *Heydenreich*, *Iacob*, *Schmid*, viri cell. aliique de re grauissima disputauerunt. Ceterum notio *fidei moralis* fortasse etiam sic poterit haud incommode explicari, vt sit: *Realisirung des theoretischen in der Vernunft um des praktischen willen.* Diligenti enim verborum delectui summopere studendum est, ne videantur vel *ideae* rationis contemni, quip-

ctemus *d*), atque collectis, quae ei inhaerent, notis essentialibus, ita nunc Dei notionem finiamus, vt sit *numen perfectissimum, totius vniuersi auctor, conseruator, gubernator secundum leges rationi morali consentaneas, atque is, qui nos certo ac consentiente natura ad summum perfectionis moralis finem perducturus sit e).* Hanc notionem porro explicantes, quidquid homines ad perfectionem referre solemus, eius ideam perfectissimam in Deo sigillatim ponimus, ex quo et *proprietatum diuinarum*, et quae solent dici *operum* enumeratio exsistit, hoc est, expositio eius, quod in Deo perfectionis notioni per partes conceptae

pe eiusdem naturae necessitate innitentes.

d) Ne quis in hac omni disputatione temere omissam putet notionem *felicitatis*, quare eius ratio habenda non videatur, monendum est. Scilicet omnem felicitatem non ad *bonum* sed ad *bene esse* pertinere, (cf. *Krit. d. pr. V.* p. 104 sqq.) non ratione postulari, sed inclinationibus appeti, ad virtutem denique neque cogitandam neque sequendam esse necessariam, ipsa Kantii verba innumeris locis condocent: cff. praeter alia *Kr. d. pr. V.* p. 45 sqq. — Cum vero Devs non appetituum causa (*um der Bestrebungen und Neigungen willen,*) credi possit esse atque poni, qui, si non prorsus fortuiti sunt, tamen a fortuita hominis cum mundo sensibili coniunctione pendent; sed vnice postulante ratione morali, quae interna est, ac sibi sufficiens rerum externarum ordinem numquam curat: nolui necessario admiscere, quod minus necessarium videbatur, nec quod propria vi stare poterat, (argumentum a legis moralis necessitate subiectiua ductum,) argumentis aliunde petitis iisque leuioribus nescio vtrum adiuvare magis, an infringere. — Ceterum non nego, in doctrina morum, in religione tam theoretica quam practica, et alibi iustnm esse felicitatis vsum; hoc volo, *ad euincendum, esse Deum, ambigua illa notione philosophiam haudquaquam indigere.* — cff. KANT *Grundleg. zur Met. d. Sitten, ed.* III. *p.* 46. „*alle Elemente, die zum Begriff der Glückseligkeit gehören, sind insgesammt empirisch, d. i. müssen aus der Erfahrung entlehnt werden. Krit. d. Urth. p.* 389: „*was der Mensch unter Glückseligkeit versteht, ist in der That sein eigner letzter Naturzweck, nicht Zweck der Freiheit.*“

e) Non licet affirmare, ipsum hoc vniuersum *ex lege morali a* Deo regi; nec enim, qui istud fieri possit, intelligitur; sed sufficit rationi negare, quicunque sit mundi finis, quaecnnque eum promouendi in Deo norma, ita alterutrum esse comparatum, vt rationis mor. desideriis vel minimam partem aduersetur.

respondere cogitamus *f*). Sicuti vero omnino, per partes cogitare summum numen, humanae imbecillitatis est, non quale illud sit demonstrantis, sed suae infantiae, tali cogitandi modo adsuetae succurrentis: ita facile intelligitur, istam humanitatis notam, (*anthropomorphismus g*) appellatur, siue naturae diuinae ad humanae analogiam facta explicatio), omnibus Dei attributis esse communem. In quibus tamen exponendis ne temere versemur, hanc legem nobis posuimus, vt primum omnes finitae naturae limites a Deo eximamus, deinde ea explicemus, quae efficiant, vt infinita vi ex aeterna rationis lege vtatur. In vtroque aliqua diuinae naturae ad res externas relatio cogitatur, ita tamen, vt priori infinitae existentiae, altero infinitae efficientiae momenta contineantur; quare illam Dei *perfectionem extensiuam*, hanc *intensiuam* non incommode dici putaui.

Extensiuam autem Dei perfectionem tum *theoretice* tum *practice* (non moraliter) considerare licet: illa, quae ad το esse, hac, quae ad το efficacem esse pertinent, explicantur. *Theoretice* (I.) enim constat, naturam omnibus superiorem et diuersam esse a mundo, et ab illo neutiquam pendere, vt primo (a.) respectu et *simplicitas* Deo tribuatur, qua eum (instar rerum mundanarum omnium) ex partibus factum atque compositum cogitari negamus, et *aeternitas* atque *omnipraesentia*, qua temporis ac spatii limites, rebus finitis proprios, ab eo eximimus. Altero respectu (b.) appellamus Deum *independentem*, *immutabilem*, *sibi sufficientem* et aliis nominibus, quae eodem redeunt *h*). — *Practice* (II.) autem necesse est, qui omnia efficiat,

f) *Die göttlichen Eigenschaften und Werke sind Theilvorstellungen der Gottheit nach unserm Unvermögen, sie anders als menschlich und bildlich zu denken.*

g) Reprobant *dogmaticum*, defendunt *symbolicum*; recte, vt opinor. cf. KANT *Prolegom. zu jeder künft. Metaph.* ed. 1783. p. 175. *Krit. d. pr. V.* p. 246 sqq.

h) Recte monuit vir cell. HEYDENREICH *Grundsätze der moral. Gotteslehre*, p. 126. proprietatum extensiuarum numerum (*negatiue metaphysicas* dixit,) multis modis posse augeri, at nullum ex eo percipi fructum. Exempla exstant in CRUSII *Entwurf der nothwendigsten Vernunftwahrheiten*, §§. 242. 244. 253 *sqq*. — REIMARI *vornehmste*

omnia agendi habeat facultatem; atque ea partim *libertas* nuncupatur, quatenus extra Deum *omnipotentia*, quatenus in ipsius natura nihil esse potest, quod impediat, quo minus vim infinitam, vtcunque libuerit, exserat. Ceterum hisce vocibus, quarum notiones omnes cogitandi fines excedunt *i*), nihil videtur affirmari; ipsa omnipotentiae idea Deum non refert omnia agentem, sed, vti diximus, subiectiue haud impeditum, quo minus omnia agere possit: ergo *negatiua* ea attributa sunt omnia.

Ad ea accedo, quibus vere in Dei notione aliquid ponitur, ad *intensiuam* eius *perfectionem*, ea ratione ipsi tributam, qua certo modo de iis sentit cumque iis agit, quae extra eum esse oculis cernimus, mente cogitamus *k*). Ea vero cum rursus ex analogia naturae humanae emetienda sit, liceat in Deo et mentis et voluntatis rationem habere, quibus facultatibus (ratione theoretica et practica), nostrum animum constare scimus.

Mentis (I.) autem est, cognoscere res obiectas vel cognitas tenere. Quorum cum prius in eum non cadat, cui nihil addi, qui nulla ratione mutari possit, in posteriori acquiescentes Deo *omniscientiam* tribuimus; recte illud quidem, nam cui omnia curae sunt, is omnia norit necesse est. Cognitione autem, siue potius scientia sua cum Deus ita vtatur, (II.) vt, quod cuilibet rei competat, id contingere velit, duo sunt voluntatis diuinae obiecta, *natura* ac *ratio*. Quamobrem, quatenus illam (a.) sic regi credimus, vt nostro fini tota respondeat, *sapientia*; quatenus omnino bene agitur cum rebus creatis omnibus, *benignitate* seu *beneuolentia* summa Deus excellere praedicatur. Quod autem ad specialem nostrae rationis curam attinet, (b.) et sancire eum defendimus legem moralem omnibus sequendam, quod *sanctitatis* est, et pro dignitate morali, quam singuli sint consecuti, aequissimo iudicio de eorum conditione externa decernere, quod est, esse Deum *iustissimum*. *l*)

Wahrheiten der natürl. Religion, ed. IV. a pag. 208.

i) *Es liegen ihnen durchgängig transscendentelle Ideen zum Grunde.*

k) *Die Vollkommenheit Gottes, sofern er sich auf die Aussendinge (denkend oder wirkend) beziebt.*

l) Ex sola Dei iustitia intelligere

§. 4.

Qua proprietatum diuinarum expositione etsi omnis infinitae amplitudinis notio continetur: tamen ita comparatos nos esse experientia docet, vt perfectionis operantis contemplatione magis, quam veluti quiescentis idea commoueamur. Quamobrem vt Deum totum, quantus quantus est, veluti ante oculos nobis ponamus, singula eius *opera* quasi temporum interuallis confecta, humana sagacitate inuenta sunt, ea quidem, quae ex Dei notione analytice ducta *creationis*, *conseruationis*, denique *gubernationis* seu *prouidentiae* nominibus appellantur. De quibus iam paucissimis disserendum est.

Creare est, esse causam sufficientem existentiae. Quod cum in homines nunquam cadat, qui etsi varie mutant ac formant res sensibus obuias, tamen habent quod tractent; non poterit nisi diuina vi dignum opus iudicari, cui res, quae adsunt, non praesentem solummodo conditionem, sed omne omnino debeant, quo effectum fuerit, vt exsistant. At vero habere ab aliquo, vt simus, siue agnoscere causam sufficientem exsistentiae, idem est ac, non fuisse olim, cum esset id, quo factum sit, vt nunc simus. Non suggerit enim humana locutio verba, quibus idea temporis satis remoueatur, rebus sensuum fines transgredientibus certe non sic propria vt nobis: ipsae enim voces *creatio*, *creatio ex*, *causa sufficiens*, aliae eam tacite inuoluunt. Ergo si homines, mundum a Deo creatum esse affirmamus, aliter id verbis enuntiare non possumus, quam vt auctorem re creata maiorem ac celsiorem, ipsum autem hoc vniuersum ita factum esse dicamus, vt nemini quidquam, Deo se totum debeat, hoc est, *creatum esse ex nihilo* m).

licet, istam Dei *benignitatem* eam esse non posse, quam quidam *moralem* appellant, sed illam solum, qua benefaciens rebus creatis, nullum inde finem sibi proprium consequatur (*uneigennütziges Wohlwollen Gottes.*) Moralis enim bonitas aut indulgentia dicitur culpae contractae, quam non video, quomodo in numen iustissimum cadat, aut ad felicitatis vel collationem (*praemia*) vel priuationem (*poenas*) refertur, de quibus ratio humana, (vti supra monitum est,) certi nihil videtur constituere posse.

m) Omnis de creatione ex nihilo disputatio videtur eo decurrere, vt

Cum vero omni diuinae naturae cogitatione eum in finem ratio vtatur, vt quomodo ipsi satisfieri possit, intelligat: a creatore Deo iam pergit ad *conseruatorem*. Quae quidem notio ita dilucida est, vt vix vno verbo egeat, quo explicetur: quod enim est, nec tamen sua vi esse potest, id alio innitatur necesse est; atque ita recte Crusius ait, conseruationem oppositam esse annihilationi siue euersioni, esse notionem negatiuam *n)*.

Grauior est quaestio de *gubernatione*, quamquam nec haec tenebris tantopere inuoluta. Eam autem necessario cogitandam esse nobis, ita comparatis, vt ordinem rerum omnium ad consilium aliquod pertinere iudicemus, nemo homo negabit; gubernatio enim aliud non est, quam rei cuiusdam ad proprium finem directio. Iam etsi, quis finis essē possit rerum non humanarum, ignoramus, rationis enim non interest, de eo sibi quidquam persuadere: tamen nostrum esse scimus eum, quem sibi ratio moralis proponat. Licet itaque, quo rerum externarum euentus dirigendi sint, affirmare, arrogantiae summae foret: tamen et negatiue certum est, eo perduci omnino nihil posse, quo rationis moralis decreta euertantur, et huius ipsius finis, ad quem diuina humanitatis cura tendat, in perfectione morali ponendus. Cuius si *materiam* perquirimus, in administratione legis moralis cerni inuenimus, si *formam*, *prouidentiam* appellamus. Scilicet ita Deum res nostras curare persuasum nobis est, vt, quidquid nobis accidere voluerit, fini consequendo nostro haudquaquam obsit. Prouidentia nihil, credo, exprimitur, quam hoc, sedulo Deum causam agere naturae humanae, adeoque singula quaeuis, maxima minima, bona mala, ita gubernare, vt eius fini nullo non tempore optime prospiciatur.

inquiramus, vtrum *synthetica* enunciatio sit, an potius *analytica*, vt praedicatum (*ex nihilo*) ipso subiecto (*creare*) contineatur. Quod mihi quidem videtur in ipsa τοῦ creare definitione latere, qua esse diximus, efficere omne, quo fiat, vt aliquid sit, Cf. KANT *Krit. d. rein. Vern* p. 251. *„Wenn der Ursprung aus nichts als Wirkung einer fremden Ursache angesehn wird, so heißt er Schöpfung.*

n) Entwurf d. nothw. Vernunftwahrh. §. 329.

Caput II.

De cultus diuini natura.

§. 1.

Explicata hucusque natura eius, ad quem cultum diuinum referri vox ipsa loquitur, eo iam, vnde exorsi sumus, reuertamur, ac primum remota Dei cogitatione in ipsius cultus naturam inquiramus, tum vero, quod de ea constabit, in Deum transferamus. In omni autem quaestione ad vsum loquendi inprimis respiciendum est; quo auctore vbi vniuersam cultus notionem posuerimus, tum de eius natura et ambitu porro disputare licebit.

Illa vero notio satis ambigua est, si vernaculam, magis, si latinam linguam respicias. Omissis autem reliquis latinae vocis significationibus, ea sola in omni disputatione vtemur, cui nostrum *Verehrung* o) respondet. Cuius duplicem esse rationem atque vsum, et constans dicendi consuetudo docet, et latinarum vocum, *cultus* ac *venerationis*, significatio confirmat: nunc enim animi certus sensus ita appellatur, vt cum parentes colimus, aut alios bene de nobis meritos; nunc ad actiones transfertur, quarum innumera exempla et ritus, quibus principes a quibusdam populis coluntur, et ipse Dei cultus suppeditant. Qui duo colendi modi, (*externum* appellant et *internum*) etsi nihil inter se similitudinis habere videntur: tamen, quos constans plerorumque populorum locutio coniunxit, suspicari licet magis forma, quam re ipsa discrepare. Atque hoc illustrata propria verbi significatione lucidius intelligetur; tum enim habebimus, ex quo vtriusque cultus et naturam et ambitum certius definiamus. Primum autem de *interno cultu* sermo nobis erit, (in omnibus enim philosophiam decet ab iis incipere, quae homini insunt,) postea de *externo*. In priori vero rursus duo

o) Venerationis voce in cultu generatim appellando propterea vsus non sum, quod ea infra opus erat in aliqua cultus interni specie definienda.

habemus consideranda, partim *subiectum* cultus interni, siue quid ipsa sit, partim quo pertinere possit, quid possit coli, h. e. *obiectum*.

§. 2.

Cultum pectori insidentem seu internum esse *sensum* (*ein Gefühl*) communis vsus loquendi docet. Minus enim recte nonnulli tum Deum coli contendunt, cum, quantus sit quamue benignus in homines, tibi persuadeas. Intelligere enim aliquid, persuadere tibi, fidem habere, rationis est cognoscentis, et iudicantis; nunquam autem, quod intelligas, etiam colere dices, quin ea mentis pertinacia esse potes, vt contra certam animi persuasionem cultum neges ei, cui vel maxime conueniat. Neque vero ad appetendi facultatem referri potest, qua voluntatem eo dirigimus, quo aut dirigendam esse, aut expedire vel conuenire intelligamus. Concedo enim, consilium colendi capi posse; at hoc ipsum ostendit, aliud esse colere velle, aliud colere. Sit itaque cultus cum aliqua mentis et cognoscentis et iudicantis operatione coniunctus; natura sua ab istis animi facultatibus profecto differt.

Manet ei vna sentiendi facultas, manet ipse sensus, qualem etiam et latina lingua et vernacula haud raro appellant. Quemadmodum autem omnino sensuum perquam varia est natura, difficilis explicatio atque incerta diuisio *p*); ita quid sit sentire, quid

p) Inprimis expedire visum est, sensuum diuidendorum fundamentum ab animo humano petere in iis occupato. Cuius cum in sensibus solo corpore motis, (quales sunt fames, odor, sapor, titillatio, dolor corporis, alii,) propria efficacia nulla sit, sed vnice in percipienda vi aliena aliqua occupatio, quam *receptivitatem* appellamus: habemus vnum genus sensuum, eiusdem animi facultatis nomine signandum (*A. Gefühle der Receptivität, oder sinnliche Gefühle*) in aliis propriam vim animi animaduertimus, quare alterum genus sensuum *spontaneum* dicimus, (*B. Gefühle der Spontaneität*) Animi autem sua vi operantis duplex obiectum cogitari potest, aut externum idque sensibile, e quo sensus *aesthetici* (*a. ästhetische Gefühle*) oriuntur, aut internum, in quo sola ratio versata sensus gignit, *e ratione ortos* (*b. Vernunftgefühle*), eosque pro theoretico vel practico rationis vsu ipsos aut (*aa.*) *theoreticos* aut (*bb.*) *practicos*. Cultum esse *sensum rationis practicum*, ostendere studuimus.

sensus, explicari fortasse poterit, accurate definiri vix poterit. Quoties enim sentimus, toties animum meminimus non sua vi aliquid aut cogitando aut iudicando efficere, sed quiescere quasi aliena re tactum atque permotum; vnde etiam *moueri sensu* recte dicimur. Est itaque non agentis animi sentire, sed quiescentis; neque in sensu vllum vel arbitrii, vel libertatis, vel virtutis vestigium reperitur, quippe totus pendet a naturae lege, qua fit, vt quibusdam rebus ita afficiamur, vt *moti sentiamus*. Profundius in naturam sensus penetrare vix licet, sed sufficere debet, ab arbitrio humano eum exemtum non vim animi dicere, sed *conditionem, effectam rei ab animo diuersae in illum momento* q).

Cum autem sensuum varia genera sint, necesse est amplius quaeramus, cuinam cultum adnumerare oporteat. Videamus itaque, an forte aliqua voci nota inhaereat, quae lucem quaestioni propositae affundat. Datur autem obuia idea moralitatis. Colere enim est, honorem animo habere; quem cui tribuimus, is necesse est dignus honore ante iudicatus sit; dignitas autem nulli rei conuenit, nisi cuius aliqua sit ratio ad moralitatem. Igitur si quid colimus, in eo necesse est ratio practica versari possit, ad quam et dignitas refertur, et omne in quo solet poni. Iam vero ii sensus, qui rationis (vel theoreticae vel practicae) ope exsistunt, proprii rationi (*Vernunftgefühle*) dicuntur; cultus ergo, coniunctus cum notione (dignitatis) ad legem moralem pertinente, rationis eiusque practicae sensus (*ein moralisches Vernunftgefühl*) appellandus sit necesse est. Atque ita fieri solet, vt nullam umquam naturam vtilem, aut pulchram, aut insigni potestate pollentem colamus, sed vnice honore dignam siue bonam, h. e. eam, quae summa legis moralis auctoritate approbetur. Quae licet sensibus obiecta sit, tamen ei non ob sensibilem ipsius naturam, nec propter iudicium de illa ferendum, (e. g. aestheticum) cultus exhibetur, sed propter legis moralis rationi innatae applausum: sensus enim est rationi morali proprius. Atque haec de subiectiua quaestionis parte dicta sufficiant.

q) *Gefühl ist ein Act der Receptivität, ein Zustand, bewirkt durch die Einwirkung eines Nichtich.* cf. SCHMID *empir. Psychologie*, Th. 3. §. 1. 17.

§. 3.

Transeamus ad *obiectum* cultus interni illustrandum, siue ad id, quod efficiat, vt colamus. Nolui autem dicere, obiectum efficere vt sentiamus: accurate enim a subiectiua sensus causa distinguendum est, qua scilicet ita comparati sumus, vt, praeterquam quod cognoscendo et appetendo in rebus externis versemur, intus etiam animi sensu, ipso quidem inexplicabili, commoueamur. Obiectum ergo cultus appellamus, quidquid colitur, sensuique interno extra sentientis animum respondet.

Primum autem de *quantitate* obiecti ex ipsa cultus definitione satis constat, non posse esse nisi bonum, id est, ad legis moralis praecepta conformatum. Quod enim ratio dignum honore vel cultu iudicat, id approbetur necesse est: iam illa nil probat, nisi honestum ac bonum; ergo cultus obiectum, quod ei probari vidimus, ipsum debet esse bonum. — Simili modo de ratione, qua, quod cultu dignum sit, ad animum pertineat, (quam *modalitatem* obiecti dicas), illo loco actum est, quo cultum sensum esse monuimus: id enim studuimus ostendere, non cogitari id, quod colamus, non eius notionem mente concipi atque formari, non denique in iudicium vocari de iis, quae ipsi insint, sed sensu percipi atque animum afficere, eius vim atque momentum recipientem.

Quibus expositis quaestio de natura eius, quod possit coli, non nisi ad *qualitatem* atque *relationem* pertinere videtur, vt primum hoc explorandum sit, quale bonum, cultu dignum, debeat esse. Enimuero duo bonarum rerum genera occurrunt, alterum efficax, alterum vi agendi carens; ad illud persona quaeuis moralis refertur, huic et actiones bonae, et leges, consilia atque praecepta moralia adnumerantur. Est autem hoc constans cuiusuis naturae, quam colendam censemus, attributum, vt persona sit, hoc est, vtatur facultate ex lege morali (i. e. libere) agendi. Neminem enim, quod vita careat, colere, licet eorum populorum exemplis comprobari non possit, quos cultus diuini speciem vel lignis lapidibusque exhibuisse putamus: is tamen haud facile negabit, qui

nostrarum linguarum satis peritus ex istarum gentium inopia rei ipsius rationem ponderandam non esse sciat. Atque eodem modo, quod bonum quidem est, at voluntatis vsu caret, magni quidem aestimatur, coli numquam potest. Ex quo genere praeceptum morale quoduis nominare sufficiat, cuius vsum perspicientis ipsum maximi facimus, nullus colit. Nec denique ratio vlla moralis cultu digna est, nisi vi agendi concessa vtatur. Quis enim hominem colit, recte sentientem, at turpiter odiosum? Quis Deos coleret in Epicuri intermundiis nihil agendo — si Diis placet — beatos? Certum itaque est, cultum iure negari cuiuis naturae nullo benefactorum merito excellenti: agendo cultus paratur, nihil agendo exstinguitur. r)

Sed aliud momentum superest, cuilibet cultus obiecto proprium. Quid enim? Gaudemus singuli ratione morali agendique libertate, atque vbi hac ad illius praecepta vsos nos esse meminimus, non possumus, quin recte a nobis facta probantes *sensum in ratione positum* percipiamus. Neque tamen sanus quisquam se ipse colet. Nimirum ad *relationem* obiecti respiciendum est, qua cultum intelligimus non cadere nisi in naturam ratione bene vtentem, *a nobis diuersam*, atque vel tacite vel expressis verbis *nobiscum comparandam (in einem gewissen Verhältniss zu uns stehend)*. Sed haec nondum sufficiunt. Quaecunque enim inter se conferuntur, necesse est aut paria sint aut imparia, in his autem alterutrum vel praestantius vel inferius. Quod autem ad cultum pertinet, primum constat, naturam, quae colatur, non posse esse inferiorem altera, quae colat. Agitur enim de relatione morali, vt inferiorem esse idem valeat ac minoris aestimandum; in qualem modo ne contemtio cadat, cultum nemo non solum non exiget sed vix, credo, admittet. Neque vero paribus, se inuicem colere, conuenit. Amant illi se, diligunt, magni faciunt: cultum iis tri-

r) Eadem videtur esse *reuerentia*, de qua cell. KANT ait, *Krit. der prakt. V.* p. 135. „*Achtung gehr jederzeit nur auf Personen, niemals auf Sachen.*“ p. 137: „*Achtung ist ein Tribut, den wir dem Verdienste nicht verweigern können, wir mögen wollen oder nicht.*

buimus solis, quos meliores nobis esse, hoc est, plus boni quam nos et sentire et agere cognouimus. Id vero rursus multis modis et quasi gradibus. Parentes enim colimus, quos, (licet ceteroquin minus bonos,) in nos tamen multo plura bona contulisse meminimus, quam nobismet ipsis aliis exhibere licuerit. Maiori cultu principes digni habentur, quod multorum millium patribus iis esse contigit, atque tutoribus. Supremus denique cultus sensu quodam eminenti Deo debetur, quem omnibus virtute et sanctitate infinitum in modum praestare intelligimus.

§. 4.

His ita expositis eo venimus, vt notionem cultus verbis accurate finiamus, dicentes eum esse *sensum rationis vi ortum, pertinentem ad naturam rationis moralis efficacia nobis praestantem.s)* Cui definitioni eas notas ordines inesse putamus, e quibus cultum iudicare oporteat, (*criteria cultus interni*): primum, vt sit sensus rationi proprius, alterum, vt obiectum cultus sit bonum; tertium, vt virtuti studeat; quartum denique, vt virtute nos antecellat.

Iam etsi nihil impedit, quo minus ea, quae hucusque de rei propositae notione disputata sunt, ad Deum transferamus, quid sit Deum animo colere, explicantes: tamen non ignari, quam parum ad nostrum cultus sensum ea referri possint, quae vere quotidie ita appellari audimus, non alienum iudicauimus, hoc loco paucis monere, qui factum sit, vt in rebus maxime diuersis eadem voce sensui propria homines vterentur. Scilicet hoc et omnis experientia confirmat, et in rei natura positum facile agnoscitur, vt, quod in animo aut vna adsit, aut parum (vel tempore vel natura) differat, dicendi consuetudine haud ita diligenter seiungatur, quin saepissime eadem voce comprehendatur. Quod in cultus notione,

s) *Verehrung ist ein Vernunftgefühl, bezogen auf die Vorstellung eines durch vernünftige Selbstthätigkeit über uns erhabenen Wesens.* Quem vir cell. Schmid *Moralphilosophie* ed. II. §. 382. Deo soli cultum tribuit, idem est, qui nobis infra *veneratio* dicetur.

vti in aliis, centies accidisse, non est quod miremur. Quid enim arctius vinculum exstat, quam illud sensum inter atque cogitationem istius causam? Quid minus potest separari, quam ab hac ille? Quamobrem et vtraque voce (*Gesinnung* et *Gefühl*,) promiscue vti solemus, et sensus vtrumque denotat, et sensu nimis saepe effectum cernimus, quod a cogitatione et iudicio pendere debuisset. Quid mirum ergo, quod animi persuasione is coli dicitur, cuius verus cultus, in sentiendo positus, sine illa persuasione ne cogitari quidem potest? quid mirum, quod eum in virtutis studio verti putamus, quam et prius animo amplecti debemus, quam ad Dei notionem perducamur, et semel cognitam, nisi a nobis ipsi deficientes non sequi non possumus? — De externo autem cultu, (cuius hic licet notionem ante vsurpare, quod non qualis sit, sed qualis non sit, quaeritur,) eum similis notionum affinitas ad omnigenum virtutis exercitium transtulit, quod, vere e sensu ortum, haud facile seuerus moralis legis interpres satis bonum esse rationique congruere iudicaret. Vbi enim sensus cum animi persuasione commutare in consuetudinem venerat, ita vt Deus ea re coli putaretur, qua id, quod ratio moralis imperabat, agebatur: profecto necesse erat, tum optime eum colere existimarent, cum, quod lex interna postulabat, omne peragebatur. Magis in rem ipsam ab aliis peccatum est, qui a peruersa Dei notione egressi humana eius consilia ac desideria esse somniarunt, atque colendo Deum vel quidquam in eo efficere, vel commoda varia ab eo impetrare voluerunt; quae res, si qua expositione egeret, innumeris errorum exemplis illustrari posset. Sed haec ad explicandum vitium dictionis, nec non et opinionis, haud raro commissum, sufficiant.

§. 5.

Eo iam progrediendum est, quo omnis disputatio vertitur, vt, quis sit interni cultus in Dei cogitatione vsus, doceamus. De illo autem superiori libelli parte ita actum est, vt qualis sit, quanta et amplitudine infinitae naturae, et bonitate rationis perfectissimae, satis intelligeretur. Neque etiam opus esse videtur, repetendo ea, quae et dicta sunt et vel non dicta constarent, explicare, quam

omnia in Deo reperiantur, quae efficiant, vt eum cultu supremo ac modestissimo omnibus digniorem censeamus. Non enim infinitam Dei potestatem, non naturam omnibus temporis spatiique limitibus maiorem veneramur; quin, si liceret ponere, illa a morali Dei natura esse separata, tantum abesset vt ancipitem coleremus, vt potius aut subiecti Deo misere timeremus, aut nulla cum eo ratione iuncti numen expers moralitatis parum ad nos pertinere censeremus. Sanctus est Deus ac iustus ac benignus, cui perpetuum animi cultum offerimus; non quod reliquae eius virtutes vilipendendae sint, sed quod alienae a summa perfectione morali, ex nostro quidem sensu, si non pondere, at tamen auctoritate carent.

In hoc ipso autem latere videtur causa, propter quam Deo cultum eximium et quasi infinitum tribuimus, quod proprietates eius metaphysicae *t*) moralis naturae efficaciam omnium amplissimam atque ipsam infinitam reddant. Sicuti enim in hominibus fieri solet, vt, quamuis alii aeque bene sentiant, is tamen inprimis colatur, cui fortuna dederit, virtutis ac beneuolentiae plurima atque grauissima documenta exhibere: ita Deum eminenti quodam modo, Deum fere vnice colimus, in quo summam voluntatis sanctitatem summa, quae voluerit, efficiendi facultate adiutam ornatamque iudicamus *v*).

Quo autem certius est, Deum posse coli, quo magis constat, eum cultu prae omni natura longe dignissimum esse, eo facilius ex notionibus ante positis, quid sit colere Deum, docebimus. Cum enim cultus sensus sit debitus ei, qui moralis naturae praestantia nostram virtutem superet; Deus autem is sit, quem omni vi mentis connisi haud satis sanctum atque iustum atque benignum cogitare valeamus: quid esse potest colere Deum, quam hac eius in-

t) vide supra cap. 1. §. 3. p. 7. not. h.

v) Eo pertinet, quod vernacula interdum a cultu eximit homines, quos, si iis contingeret agere vti sentiant, summo studio colendos iudicaret. Neque etiam illis reuerentiam (*Achtung*) negat, vt videatur in hoc animi bene sentientis, in illo voluntatis rationem habere, ex animi persuasione agentis.

comprehensa dignitate màximopere tangi? reuerentiae sensu perfundi, ex ista cogitatione, nescio qua animi vi aut propensitate, at necessario tamen prodeunte? Poteris itaque hunc Dei cultum internum verbis accurate expressum dicere *eos in Deum sensus rationis vi ortos complecti, qui cogitationem entis perfectissimi, sanctissimi, Dei vere nostri, sequantur x).*

Ex qua definitione cum singuli modi, animo colendi Deum, metiendi sint, liceat eam in partes quasi dissoluere, eiusque *criteria* singula proponere. Quae quidem haec sunt:

1) *vt Dei cultus internus sit vere sensus rationi morali inhaerens.*

2) *vt obiectum eius sit notio Dei plena ac iusta.*

3) *vt ne quid aliunde petitum, quidquid sit, ad istum sensum accedat.*

Quae cum analytice ex ipsa cultus diuini notione ducta sint, demonstratione non videntur egere. Necesse enim est, quaeuis res et sibi ipsa conueniat, et ei ad quam pertineat, h. e. ipsius obiecto. Id vero non *positiue* tantum efficitur, cum adsunt, quae vtriusque natura desiderat, sed *negatiue* etiam remouendis iis, quae alienigena ipsius puritati ac simplicitati obessent.

§, 6.

Quod alicui mirum videatur, exhausta rei notione rem ipsam satis explicatam non esse, id in notione cultus vere nobis accidisse sentimus. Meminimus enim, praeter animi sensum actiones quoque varias ad eum referri, quae cum a sensibus tota natura discrepent, haud facile negotium possit existimari, libertatem cum necessitate coniungere, atque agendi arbitrium ad animum ad sentiendum institutum referre. Interea quod plerorumque populorum consensu factum videmus, id iure colligimus plane temere factum non esse, atque ex eo spem suscipimus fore, vt in rei natu-

x) Innere Gottesverehrung ist ein Vernunftgefühl, bezogen auf die Vorstellung des allervollkommensten, moralischen Wesens.

ram inquirentes non ex arbitrio diuersa confusa esse, sed alterum, ad alterum, prouti per rei naturam licuerit, accommodatum reperiamus.

Cui tamen spei ne nimium confidentes fallamur, probe tenendum est, quod supra exposuimus, colendi notionem *propriam* ad animi sensum pertinere, Deique cultum *proprie* dici sensum notione Dei excitatum. Quod sí itaque intelligimus, illam vocem communi vsu ad aliud transferri, materia aeque ac forma a sensu diuersissimum *y*): si non omnem negligere licet linguarum auctoritatem *z*), id non nisi ea ratione fieri censendum est, vt impropria significatio propriae cedat. In omni itaque cultu sentiendi notio (*der Begriff des Empfindens*) primum locum obtineat, et quibuscunque praeterea rebus Deus coli dicatur, eae sic explicentur, vt cum sensu in Deum vlla ratione iunctae esse vel ab eo pendere cogitentur. Atque haec videntur variis dicendi et iudicandi modis in vernacula lingua aliisque obuiis, confirmari. Vt enim taceam, cultui externo si quid pretii conueniat, id ei tum tantum concedi, cum animus colentis pius sit, h. e. talis, in quo locus interno cultui detur: haud difficiles etiam esse solemus ad condonandum iis, qui ab externo cultu abstinendum putant, dummodo de interno dubium non sit, quin repleat quemuis agendo illum significantem. Atque hoc sufficit vt intelligamus, similem esse nexum in re ei, qui in verbo deprehendatur, cultumque externum ad internum eodem fere modo pertinere, quo altera vocis alicuius significatio ex priori et propria fluat. Quemadmodum itaque in ista explicanda prima et propria semper princeps esse debet, ita cultum quoque externum ad internum, i. e. animi sensum obiecti notione excitatum, numquam non referemus. Quod si constat, quae possit esse actionum ad sensum relatio, amplius explorandum est.

y) Quales sunt cerimoniae, ritus, sacrificia, et quaecunque ad λειτουργιαν pertinent, quatenus ad eam cultus diuini vocem transferimus.

z) Ne quem haec offendant latine scripta, notandum est, de cultus voce germanica, *Verehrung*, inprimis agi. *Colere* enim proprie de re longe alia dici constat.

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id432299912/22 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

§. 7

Primum autem, dum cultum externum, qualiscunque sit, actionibus contineri contendo, quaestionem quasi praeuiam oriri intelligo hanc, qualis omnino esse debeat actio ad cultum referenda. Omnino vero actionem definio sensu strictiori *agendi vim, ex voluntatis liberae decreto adhibitam* a). Cum enim aliae sint res in facto positae humana vi effectae, in quibus omne et consilium et arbitrium et pretium desideretur, eas existimaui ab actionibus diligenter esse secernendas. Aut enim aliena vi extortae sunt, vt vel nolente eo, qui agat, conficiantur, aut naturae aliqua necessitate fiunt, qualia sunt corporis quaedam munera vel affectuum motus, quos equidem, cum nullo modo videantur a voluntate pendere, effectus dicere malim quam actiones. — In quibus autem arbitrio locus est, ea numquam non ad legis moralis praecepta revocantur atque ex iis aestimantur. Ita enim natura sumus comparati, vt, quidquid agatur, ferre nequeamus, nisi moralitatis normae in animo nostro reconditae conueniat. Quod eo magis tum solemus exigere, cum id, quo pertinet actio (obiectum actionis), ad moralitatem ipsum comparatum est; quale cultus diuini obiectum esse intelleximus.

Habemus itaque actiones liberas, ad moralem legem conformatas atque ad internum Dei cultum ita referendas, vt sensus, potior istis, teneat principatum. Quod quaerere quomodo fiat, vel qualis sit relatio eiusmodi principatum agnoscens, in eo vertitur quasi cardo totius de cultus externi natura disputationis. Illum vero per se haud adeo difficilem intellectu, atque iis ipsis, quae de actionibus modo dicta sunt, paulo significatum, lubet illustrare exemplo virtutis. Quemadmodum enim in cultu ad sensum, ita in virtute ad animi persuasionem res externae ab arbitrio pendentes (actiones) referuntur, quae cum variae esse possint,

a) *Handlung ist freie und bewusste Aeusserung der Thatkraft.* — Non puto aliud inesse definitioni viri cell. HEYDENREICH, *Propäd. d. Moralphil.* III. p. 65. „*Realisirung eines Entschlusses des Willens.*“

variumque ad finem tendere, tum demum vere bonae iudicantur, cum illi persuasioni ab omni parte respondent. Ita autem debent esse comparatae, vt et originem a virtute petant, et animi persuasionem plenam ac puram exhibeant. Quamobrem cum similis sit ratio cultus interni, cum actionibus ita coniuncti, vt eius sit perpetua prae illis auctoritas: eam istius coniunctionis naturam esse censemus, vt in sensu actionum et *causa* et *norma* ponatur. Nec potest alia ratione cultus interni primatus intelligi aut explicari. Etenim potiorem esse alia re, quacum iunctus sis, aliud non est, quam eius momentum explere. Iam vero actionis omne momentum in eo cernitur, vt ex consilio facta dirigatur ad finem; ergo quem potiorem actione sensum eius momentum explere vidimus, ita hoc quasi munere debet fungi, vt agendi causam ipse continens legem actioni scribat, quae ipsi congruat. Quamquam igitur voluntas in capiendo externi cultus peragendi consilio non coacta alienae legi obtemperat, quae omnino nulla esset: tamen ita versatur, vt omne et decernendi de actione et vero etiam agendi momentum (h. e. *causam* et *normam*) ab interno cultu repetat.

§. 8.

Quibus peractis notionem cultus externi verbis expressam ita finimus, vt eo comprehendantur *actiones liberae cultum internum referentes.* Quas quidem in omni cultu ex eadem lege iudicandas esse, vix est quod moneamus; neque enim de materia neque de obiecto cultus externi quidquam constitutum est, sufficit eius formam, quemadmodum in virtutis doctrina, posuisse. Ergo Deum externo cultu prosequi aliud esse non potest, quam *ea agere, quibus animi in Deum sensus* (cultus internus) *significetur vel referatur b).* Eius *criteria* duo sunt, vt cuilibet, ita et diuino cultui externo propria:

1) *vt contineat actiones liberas rationi morali congruentes;*

2) *vt ad internum cultum totus respiciat.*

b) Aeussere Gottesverehrung begreift alle diejenigen Handlungen in sich, welche in Beziehung auf die innere vorgenommen werden.

Quod reliquum est, eo omnis in cultus naturam inquisitio pertinet, vt in eius variis speciebus siue partibus certi quid habeamus, quo innitamur. Etsi enim illa duo cultus genera, notas diuersissimas continentia, vna definitione comprehendi nequeunt: tamen satis intelligere licuit, qua vtrumque natura sit, et qua ratione aestimandum. Atque iam ab vniuersis ad singula pergamus, enumerantes ea, quae cultus et externi et interni voce dicuntur, eorumque vel necessitatem vel pretium ex ipsorum ad rationem moralem relatione iudicantes.

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id432299912/25 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Caput III.

De cultu Dei interno.

§. 1.

Si quid est, quod Deo debeamus, hoc est, vt eius amplitudinem incomprehensam summa animi obseruantia colamus. Quod tamen cum nondum pateat, qua lege exigatur, primum in argumentum cultus inquirendum est, tum vero de eius ad animum vi atque ratione disserendum. Atque sic tota quaestio in duo capita dirimetur, quorum prius, in cultus interni ambitu describendo positum, *obiectiuum*, posterius pertinens ad rationem, quae ei cum animo intercedit, *subiectiuum* commode dicas.

§. 2.

Ideam Dei omnem, atque inprimis moralem mente concipiendam et efformandam esse, vt iustus ex ea cultus nascatur, et supra monitum est, et verbi notio docet. Neque enim, quod in diuina natura a moralitate cogitando seiungimus, ad cultum excitandum sufficit, neque adeo, si mancum esset, Deus ipse moralis satis recte cogitaretur. Ergo non videntur probari posse, qui admirationis sensum, ortum ex proprietatum diuinarum non moralium contemplatione, ad sensum referri volunt. Quamquam de ea paulo post pluribus dicemus. Nunc de morali sensu agitur, qualem cultum vere esse, supra exposuimus; ita monentes in cogitanda diuina natura esse versandum, vt, quaecunque vel mente Deus teneat, vel agendo quasi efficiat, eaque ad naturas aut expertes moralitatis aut ea ornatas pertinentia, ea omnia ad rationem moralem reuocemus, atque sic proponamus, vt eorum ad moralitatem relatio continua atque sola eluceat. Itaque cum Deum et metaphysicum et moralem, eumque et sentientem et volendo efficacem cogitare liceat: quatuor exsistunt naturae diuinae momenta, cultus interni obiecta; considerandas enim habemus

1) *proprietates Dei morales;*
2) *proprietates Dei metaphysicas siue theoreticas illis in-*

seruientes; (die metaphys. Eigensch. Gottes in moralischem Dienste;)

3) *opera Dei moralia;* (gubernationem generis humani;)

4) *opera Dei methaphysica seu theoretica ad finem illis positum accommodata, (Einstimmung der Natur zu unserm moralischen Zwecke).*

§. 3.

Hisce momentis scimus religionem theoreticam omnem contineri, eamque et Deo et homine vnice dignam; quare idem erit dicere, aut Dei notionem omnem mente complectendam, aut religione theoretica omni opus esse, vt iustus in nobis Dei cultus oriatur. Cuius tamen per partes illustrandi causam (fundamentum diuidendi) cum non ex obiecto sumere liceat, quod immutabile esse intelleximus, sed potius e subiecto siue homine, qui istis de Deo cogitationibus sese dederit: duplicem video vel religionem vel diuinam naturam contemplandi esse rationem, qua, quantum sit summum numen, aut simpliciter, aut ratione habita nostrae cum Deo coniunctionis, perpendamus. Vtraque autem alias suppeditat cultus diuini interni et formas et appellationes, de quibus iam ordine disputabimus.

Primum est *venerari Deum c)*; ita enim nuncupare velim illum erga Deum sensum, quo, non quid nos ei debeamus, sed quam omne bonum et ipse solus contineat, et extra se semper efficiat, animo reputamus. Sed nescio verbis describere huiusce sensus sublimitatem, in quo tantum abest, vt Deum ipsum sublimem rebusque sensibus subiectis similem existimemus, vt eum potius, omnibus finitae naturae limitibus exemtum, eo ornemus, quo nihil praestantius vnquam cogitari potest. Non enim ens metaphysicum habemus, aut nihil agendo beatum, aut alia agentem, quam quae nostra interesse possit et scire et iudicare; sed ea est

c) Veneratio Dei, *die eigentliche Verehrung, Anbetung im Geiste.*

naturae diuinae grauitas, quae et bonum quoduis aeterna constantique cogitatione comprehendat, et infinita vi non nisi boni promouendi ac tuendi causa omni tempore, vbique locorum vtatur. Rogas, quem in finem Deus ea omnia et mente teneat et efficiat? Eo certe non spectat, vt ipse inde aliquid vel lucri vel voluptatis percipiat. Qui enim tantus est, quantum nulla vis assequatur, minus res vlla antecellat, quomodo eum augeri posse putabis externa re vlla? quomodo eum sibi parare quidquam putabis? Ergo Deus certe non sui causa talis esse potest, qualem necessario cogitamus: quibus quibus sit, iis naturis sit necesse est, quibus ipse dederit vt adsint, atque eum in finem, in quo scelus esset, vel leuissimam moralis legis imperfectionem cogitare.

Est vero profecto ineffabilis ille sensus, quo talis Dei idea, eadem ipsa ineffabili, replemur. Cui quo minus haec cogitatio adhaeret, nostrum illum esse Deum, quem colamus, eo purior esse videtur ac homine dignior. Quamquam in ea re de proprii commodi studio, quod Deum quasi sectantes quaeramus, cogitare omnino non licet; illud quidem ab omni Dei cultu longissime remouendum *d*). Interea tamen aliud est, cogitare Deum e. g. nobis benignum, aliud, eius praestantiam simpliciter contemplari; ac non possum, (suadente, ni fallor, rei natura,) quin sensum ex hac simplici cogitatione ortum praestantiorem aliis censeam, in quibus nostrum quasi mentio fiat Deo deuinctorum et obligatorum. Hos enim sensus non nisi homo possum nutrire: illo perfunderer necesse esset, si vel nullis a Deo beneficiis ornatus spectator tantum, non particeps, interessem mundo ad moralitatis legem ac finem instituto.

§. 4.

Verum ne videamur detrahere quidquam velle iis in Deum sensibus, interno-cultu comprehensis, qui cogitationem nostrae ad

d) Multa de proprio studio in religionis ac Dei cultu, proh dolor, nimis obuio, inter alios praeclare disputauit KANT *in der Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft*, Sect. IV. „*Vom Dienst und Afterdienst unter der Herrschaft des guten Princips.*“

Deum relationis sequantur, ad eos sedulo explicandos pergamus. Ita autem cum Deo coniuncti, vt ab eo, quidquid et mente et corpore valemus, omne acceperimus, nos proxime ad eum pertinere, illumque nostrum esse Deum contendimus. Igitur et auctor est generis humani, et conseruator, et rector: nihil nobis inest, nisi a Deo datum, nihil accidit, nisi diuinitus immissum, nihil impendet, nisi diuina cura gubernatum. Quae omnia cum bona sint, hoc est, ex morali lege ordinata et ad eiusdem finem directa: Deum nullo non tempore, quin vel summis molestiis nos cruciantem, bene nobiscum agere, beneficum nobis esse iudicamus. Atque haec quidem Dei *benefactoris* cogitatio sensum gignit, bono cuiuis atque honesto viro satis cognitum, sensum *gratitudinis*, et Deo maxime conuenientem, et humanae naturae proprium. Namque et hominibus gratias habemus, quorum in nos benefacta meminimus; Deo autem sensu eminenti, a quo toti pendemus, cui maxime deuincti omnem animum pietatis sensu repletum offerre iubemur.

Sed cum hucusque eo tantum respexerimus, quid et quam multum Deo debeamus, quam benefaciendi *materiam* dicas: nunc ad ipsum Dei animum, (*formam* dixeris,) veniendum est, quo talem se nobis exhibere creditur. Num itaque egimus quidquam, cuius ab illo mercedem accipiamus? An forte sibi studens Deus tot tantisque bonis nos cumulauit, vt beneuolentia capti accepta referamus? At vereor, ne vel leuissima hac cogitatione diuinae excellentiae notio laedatur. Procul ea omnia remoueantur, quibus Deo huiusmodi consilium, (sui studium,) id vero vel in hominibus imperfectionis signum, tribuamus. Sua voluntate (beneuolentiam appellamus,) eaque sola motus Deus nobis beneficus esse putandus est; *patrem* eum nobis esse dicerem, si non quaelibet ab humana conditione ducta appellatio ipsius dignitate, nullo verbo assequenda, indigna videretur. Quo vero sensu patris memoria pium liberorum animum implet? Scilicet *amore* purissimo, non ambiguo illo affectu, sensuum ope magis, quam animi contemplatione excitato, sed beneuolentia, orta non nisi ex eo, quod benignissimum eum sibi esse meminerunt, nec nisi ipsorum commodi

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id432299912/29 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

studiosissimum. Simili ergo amore nos Deum amplectimur, quem patris instar beneficentissimum esse constat in res creatas omnes, atque inprimis in genus humanum, cui soli ingentem, qua ornati sumus, bonorum copiam debemus, illi quidem hanc vnam ob causam bene nobis cupienti, vt nobis bene sit *e*). Redamandum recte dicimus, qui nos primus amarit; atque etsi in verbo humani quid latet, quod, si positiue in Deum transfertur, non iniuria alioffendit: tamen, qualem nos sensum verbi explicauimus, qualisque profecto nobis amor concessus est, talis certe nihil habet, quod vel diuinae perfectioni, vel sentiendi puritati non totum conueniat *f*).

Quibus expositis non puto id denuo copiose demonstrandum esse, hosce sensus, ad internum Dei cultum referendos, esse vere sensus rationis practicae efficientia innitentes, ponere notionem Dei iustam et plenam, nec quidquam denique alieni ei immiscere *g*). *Venerationem* enim constat non nisi aliam esse cultus appellationem, sensu quidem strictiori et eminentiori; atque de illo satis disputauimus. Animi *gratitudinem* quod attinet, haud facile aliquis, quin eodem referenda sit, dubitabit, vt quae ad eamdem diuinae naturae notionem pertineat, addita non alienae a diuina efficacia rei, sed eius tantum obiecti certa et definita cogitatione. Eadem denique est ratio *amoris* in Deum, non nostram conditionem, sed Dei benefici animum respicientis. Quod in verbis fortasse desideratur, id linguae culpa accidit, non rei. Non enim ab experientia temere istorum sensuum notiones hausimus, sed ductas

e) *Das uneigennützigste, mit keinem subiectiven Zwecke verbundene Wohlwollen Gottes.*

f) Non obstat, quod et amoris multiplex est origo ac significatio, et, qui plerumque ita appellatur, ad sensus aestheticos referendus est. (cf. IACOB *Erfahrungsseelenlehre*, §. 419.) Etsi enim vterque in benevolentia aliqua cernitur, orta ex persona alicuius ad nostrum iudicium relatione: tamen obiecto differt, in amore aesthetico sensuum ope, in nostro, (rationali,) sola rationis vi suppeditato. cff. de amoris in Deum sensu SCHMID, *Moralphil.* §. 616. 630. HEYDENREICH *moral. Gottesl.* p. 199. 223.

g) videantur criteria, pag. 19. exposita.

e ratione, qua possit Deus cogitari, ea voce, quae vna suggerebatur, notauimus.

§. 5.

Quo certius autem istas cultus interni partes, ex vno fonte haustas, ex eiusdem criteriis iudicare possumus, eo facilius erit, ex iisdem de aliis sensibus decernere, minus recte ad Dei cultum reuocatis. Quorum iam aliquos perlustraturi, primum nemine, credo, dissentiente ea a cultu diuino seiungimus, quae nihil habent cum sentiendi facultate commune. Etenim improprie loquuntur, qui Deum mente virtutis amante, consiliorum honestate, optima quaeuis agendi voluntate, atque ipso denique virtutis studio *coli* dicunt: illa enim omnia in cogitando ac iudicando posita sunt, numquam in sentiendo; iis obsequium Deo, non cultum praestamus. — Neque vero *moralem*, qui vulgo dicitur, *sensum*, (*das moralische Gefühl*,) cultus esse speciem iudicabimus; aut enim vere sensus non est, sed iudicium de rei alicuius moralitate ita latum, vt causae, ob quam vel bona vel mala sit, nobis conscii non simus; aut si ad sentiendi facultatem pertinet, certe non a Dei notione, sed a lege morali rationi innata, originem ducit. *h*)

Ex alio genere sunt, quae vere quidem sentimus, posita et ante concepta Dei notione, ea vero vel manca vel vitiosa. Ad prius refero *admirationis* sensum, in quo, etsi quidam male acquiescentes falsa et inepta de Deo finxerunt, tamen nihil reperitur vel diuina maiestate vel rationis grauitate indignum. Ergo non improbamus istum sensum, et per se probabilem, et qui facile esse possit honeste agendi auctor: modo ad cultum eum male referri contendimus, siquidem hunc constat omnem debere esse moralem.

Quam facile autem ab admiratione sola ad peruersam Dei cogitationem deflectamus, id *timoris* exemplum confirmat, in multorum de Deo doctrina obuii. Qui sensus, quam subtiliter explicetur,

b) cff. *Krit. d. prakt. V*, p. 68. 142. *Propäd. d. Mor.* I, 196. sqq. II, 178. sq.

tamen aliquid et molesti habet, et quod Deo haud satis conueniat. Numquam enim timendus est is, a quo non nisi bona nobis contingere possunt; nec si puniat timendus, vel enim grauissima mala in commodum nostrum verti, certo scimus. Vbi vero tum Deum timeri dicas, cum ab iis tibi caueas, quae legi diuinae contraria sint: rursus aut Deum offendi posse existimas, quod non sinit natura omni externarum rerum momento maior, aut legem tibi praescriptam veritus, quod ea prohibet, euitas, tum vero non Dei, sed legis ab eo latae studiosus.

Superest ea cultus diuini interni nota, qua alienigenum, hoc est, petitum a cogitatione rei ad Dei ideam non pertinentis, ab eo excludi voluimus. Videntur autem eam primum ii negligere, qui *fiduciam* in Deo positam (*Vertrauen auf Gott,*) ad cultum solent referre. Ea enim cum animi persuasio sit, a numine sanctissimo atque benignissimo non nisi bona nobis immitti; facile intelligitur non tam ad Deum pertinere, quam ad beatam nostram conditionem diuinae curae debitam. Licet itaque, animi aliquem sensum esse, non negem, quo spem illam laetam concipiamus: tamen ille non ex cogitatione Dei, sed ex aliqua felicitatis certo exspectandae praesensione ortus, cultui interno adnumerari nequit. Similis est ratio illius non sensus, sed persuasionis (*Gesinnung,*), quam *animum submissum* (*Demuth*) dicunt. Etenim et hic ad nostram imperfectionem moralem cum diuina virtute comparatam respiciens, neque adeo in sola idea Dei occupatus, a cultu diligenter distinguendus est. — Sed me ipso inuito ab hisce vlterius explicandis abstineo; id enim cum maxime agendum est, vt, quid recte ad cultum referatur, explicemus; in quo breuiter tantum tangere ea licet, quae ab eius propria vi atque natura abhorrent.

§. 6.

Perlustrato hucusque cultus diuini interni ambitu, quae sit eius ratio ad animum humanum, videamus. Ipsum autem si constat ad moralem naturae nostrae partem pertinere, moralis etiam illa ratio sit et morali iudicio aestimetur necesse est. Quaeritur

ergo, *quo modo ratio moralis cultus interni sensum ad se pertinere censeat?*

Omnino, quae ex lege morali iudicantur, si probari possunt, aut *necessaria* sunt, aut *minus necessaria.* (Ea autem diuisio ad formam pertinet; de materia nobis constat, cultum Dei omnem probari.) Illa *officia* appellamus, haec *probabilia;* illa numquam non seuere iubentur, in his, dum aliae causae ea vel suadent vel exigunt, legi morali perinde est, fiant nec ne.

Si quid officii instar iubemus, hoc volumus, illo neglecto laedi legem moralem. Quodsi enim omitti aliquid potest, quo neque conseruetur legis sanctitas, neque de ea quidquam detrahatur, id a lege alienum, officii loco proprie dicti exigi nequit. Iam vero cultum internum scimus esse sensum. Qui si ita cum virtute aut religione cohaeret, vt, nisi illo pleni, harum nullam partem recte cogitare, minus ita agere valeamus, vti earum cogitatio iusta postulat: tum profecto ille animi sensus necessarius est ex lege morali, tum cultum sentiendi exstat officium. Vt vero taceam, sensum non voluntatis libertate effectum, sed ex notione rei mente percepta sponte quasi profluentem, iuberi numquam posse *i*): haudquaquam etiam cultus Dei cum virtute aut religione simpliciter coniunctus est. Quid enim? Estne in sensu posita religio? in sensu virtus? an potius in rationis certa persuasione nituntur? Numque si omni sentiendi facultate careremus, tum nobis non liceret esse bonis, credere Deum esse et animum immortalem? Quin deplorandam sortem essemus nacti, si illae notiones a sensu penderent, eo quidem a nostro arbitrio prorsus exemto! Quare cum nulla necessitas, vt quemuis sensum, ita nec cultum diuinum internum cum ratione morali iungat, *officium eum esse negamus.*

i) Ein Gefühl kann, da es nicht Gegenstand der Willkühr ist, sondern nach einem gewissen Naturmechanismus aus Begriffen und Vorstellungen entsteht, nicht als unmittelbare Pflicht geboten werden. — vide, quae supra monuimus, cap. II. §. 2. pag. 13.

§. 7.

Ex altera vero parte non est quod vereamur, ne nullum omnino pretium cultui interno ratione morali tribuatur. Quamquam illud, qualecunque sit, ei aequale esse non potest, quod actionibus competit ad virtutis praecepta conformatis; in his enim libertas est, in sensu vis sola naturae, cogitando excitata atque adiuta. Ex eo itaque cultus interni pretium pendebit, vt doceatur prodesse, aut facere aliquid ad rem vtilem vel bonam promouendam *k*). Quod quidem de eo constare, clarissime lucet. Eam enim natura vim sensibus ratione ortis, (nec non aliis,) concessit, vt et magis inuitent animum ad exploranda ea, ex quorum cogitatione ipsi fluxerint, et persuasionem (siue cogitationem), ipsorum causam, viuidius animo proponant altiusque inculcent. Atque hanc vim in iis inprimis conspicuam esse reperimus, qui animo molliori (*reitzbarer*), eodemque ad virtutem plerumque propensiori, vtantur. Illi, quod sentiunt, arctius amplectuntur, diligentius perscrutantur. Qui vbi, quantus Deus sit, quamque benignus in omne genus humanum, intellexerint, atque talem Deum pie venerantes grato animo colent ac summo amore: tum indies lubentius in eius cogitatione versabuntur, tum rectius perspicere discent, quantum ipsorum intersit, de omni religione certum habere quod sentiant, tum denique animo ad virtutem magis applicato eam ipsam constantius sequentur. Ita, quod ipsum nec bonum nec malum est, id cum ad religionis cognitionem virtutisque studium facile ducat, dignum iudicamus, cui omnem operam nauemus. Quo diligentius autem studuerimus perspicere, quam et necessarium et salubre sit, religionem omnem mente animoque tenere, eo facilius illi sensus, quibus summum numen colimus, nos totos penetrabunt, eo grauius etiam eorum momento tacti ea cogitando tractare pergemus, quae certo scimus omnis et virtutis et felicitatis vnica esse fundamenta.

k) Est cultus interni non dignitas, sed pretium, idque absolutum, (*nicht Würde, sondern Preis, und zwar Marktpreis,*) ex verborum definitione obuia in KANTII *Grundleg. zur Metaph. d. Sitten*, p. 77.

Religionis ergo sibi quisque ducat, cultum Dei internum vllo modo vilipendere. Qui si se ipsum eo egere haud putet, sibi habeat, caueat tamen, ne ex sua de se opinione rem ipsam iudicet. De aliis autem, qui non ignorat, quantum sit sensuum in omni bono promouendo momentum, is omnem operam collocabit in eo, vt excitata vera Dei notione et occasionem paret colendi sensui saluberrimo, et subortum alat.

Caput IV.

De cultu Dei externo.

§. 1.

Actiones a voluntatis arbitrio pendentes ita vidimus ad sensum posse reuocari, vt in hoc, illis potiori, earum et causa et norma ponatur *l*); quippe sensus nulla in agendo auctoritas esset, si aut habita alienae rei ratione consilium agendi caperemus, aut ex aliena lege actiones ipsas institueremus. Ita vero cultus externi lege formali constituta huius loci est, in eius materiam inquirere, quae (vti in omni re posita in agendo,) et argumento et fine continetur. Primum itaque duplicem hanc de materia quaestionem explicabimus, deinde, quemadmodum in superiori de interno cultu disputatione factum meminimus, de ratione actionum illarum ad animum humanum, siue de earum pretio vel vtilitate disseremus.

§. 2.

Si externo cultu prosequi Deum aliud non est, quam agendi facultatis efficientia animi sensum exprimere atque explicare: rursus duae sunt quaestionis, quibus modis id fieri possit, partes: primum enim, qualis ista efficientia, deinde qualis expressio sit, videndum est. De illo autem facile quisque intelligit, *cerimonias* nunc inprimis dici et *ritus*, in religione quauis positiua crebro obuios. Qui cum, in sola corporis efficacia positi, per se nec boni nec mali habeantur: improbari non possunt, dummodo ne cui officio obsint rite peragendo. Liceat itaque coetus religiosos frequentare, liceat, si qui prodesse putent, pompis (quas processiones dicunt,) aliisque ritibus significare, quam se Deo obstrictos, quam eius amplitudinis cogitatione affectos sentiant, modo ne vel Deo aliquid grati facere putent, (de quo supra dictum est,) vel officia negligant, hac religionis declaratione fortasse grauiora. Vbi enim, dum rectius munus traditum perageres, pompam sequeris, vbi opem mise-

l) vid. Cap. II. §. 7.

ro ferre recusas, ne quod religionis exercitium omittatur: tunc profecto vehementer improbandus es, qui ritui virtutem postponas, qua nihil esse homini debet grauius atque antiquius. Verum haec et satis perspicua sunt, et omnino non licet in exemplis conferendis diutius commorari. Quare hoc vnum adiiciamus, haud facile ritum excogitari posse et sensui in Deum pio explicando magis idoneum, et virtutis ac beneuolentiae studio promouendo magis accommodatum, et quibusuis officiis explendis minus contrarium, quam coenae sacrae, nostrae religioni propriae, celebrationem. Quamquam theologorum est, haec accuratius explicare.

Aliae sunt actiones, magis vi animi effectae, etsi spirituales eas haud facile dixerim, ne verborum repugnantia lectores nimis offendam. In quibus primum locum obtinent *preces m*) ad Deum factae, quas, quatenus ad cultum externum referuntur, definiam sensuum piorum religione theoretica excitatorum elocutionem. Vltra vero progredi non licet. Quodsi enim humano more a Deo aliquid petere velles, aut forsitan nolentem iratumue commouere, aliis rationibus tibi docendum esset, quomodo id iustae Dei notioni conueniat; hoc esset certum, huiusmodi preces, non animi sensum, sed varia desideria explicantes, ad cultum externum referri nullo modo posse. At vero si decet hominem, sensibus in Deum piis atque gratis perfundi, quidni eos eloqui deceat? Si necesse est, is Deum amet, qui omnem diuinae benignitatis ambitum perpenderit, quidni sermonis ope vtatur ad laudibus tollendum summae bonitatis exemplum? ad explicandum, quam se sentiat benignissimo numini deditissimum? — Eodem pertinent canticorum concentus, sermonum recitationes, et quaecunque praeterea animi in Deum sensibus verbis exprimendis inseruiunt: excepta enim elocutione nihil nobis concessum est, quo simpliciter, quod in pectore latet, exhibeamus. *n*)

§. 3.

Omnis autem cultus interni per actiones significatio duplex

m) *Gebet, nicht Bitte.* *n*) cff. quae de eiusmodi ritibus

esse potest, vel ea, quam, quid sibi velit, statim quilibet homo intelligat, vel cuius ante exponenda fuerit vis, quam alii eam potuerint agnoscere. Ab illa cultum *proprium*, ab hac *symbolicum* dicemus. Satis autem constat ex iis, quae paragrapho superiori dicta sunt, vter, quid sentiamus, proprie, vter symbolice loquatur. Quae enim in verbis proferendis cernuntur, sensum vere loquentia, ad proprium cultum pertinent; cerimoniae eumdem δι' συμβολου repraesentant. Cum vero omne eiusmodi signum, per se arbitrarium, ad nullam rem certo referri possit: opus est aliquo pacto, siue plurium hominum, (vt populi vel societatis religiosae,) consensione, qua ratio constituatur internum Dei cultum exprimendi. Quam quidem tam variam cogitari posse, quantus sit numerus signorum rationi humanae et theoreticae et practicae conuenientium, res ipsa loquitur, historia confirmat. Illa vero enumerent ii, qui historiam cultus externi conscribere sibi proposuerunt. Ad nos non nisi eatenus pertinent, quatenus in eorum delectu cauendum est, ne legibus supra (cap. II. §. 8.) expositis, omni cultui externo communibus, repugnent: necesse enim est, iis signis cultum internum referamus, quae et agendi libertatem non tollant, et rationi morali conueniant, et internum Dei cultum verum vere significent. Quibus nunc iterum exponendis facile supersedemus; quin absoluta iam priori de argumento cultus externi quaestione nihil impedit, quo minus ad eius finem perquirendum progrediamur.

§. 4.

Cum de cultu Dei interno disputaremus, non poterat esse quaestioni de *fine* locus. Non enim id hac voce appellamus, quod aliqua re efficitur, aut conscii eius simus aut inscii, sed in quo peragendo consilium et norma apparet, id solum ad finem tendere iudicatur. *Cum autem nihil ex consilio fiat, nisi in quo voluntas sit libertate vsa: in cultu interno finis cognosci non potuisset, ille enim sensus est, non ex humano arbitrio, sed ex naturae lege natus. In externum autem Dei cultum profecto ista notio cadit,

* monuit cell. KANT, *Relig. inn. d. Gr. d. bl. V.* pag. 284 sqq.

quamquam in ea caute versandum est, ne remotiorem finem pro proximo accipiamus, de quo iam inprimis agitur.

Hicce vero quis sit, ipsa cultus externi definitione, licet occultius, significatum est. Etenim si tum tantum actiones varias ad cultus ideam referre licet, cum ad sensum internum spectant: hoc ipso verbo, quod quaerimus, continetur, cultus internus externi finis habendus est. Interea cum in omni actione non eius tantum, qui egerit aliquid, ratio habeatur, sed, quae in aliorum conspectum veniat, ad eos plane non pertinere non possit: in cultus etiam externi fine et ipsum agentem, et alios, ad quorum cognitionem actio perueniat, respiciemus, ita tamen, vt in animi sensu numquam non rei caput ponatur. Semper ergo consulendum erit cultui interno, aut nostri causa, vt confirmetur vel promoueatur, aut aliorum gratia, quorum intersit scire, qualem nos animum in Deum habeamus, hoc est, interni cultus aliis significandi causa. Quod autem ad prius attinet, experientia satis docuit, eum esse nexum actionum atque eius, quod animo insideat, vt, si qua re in facto posita alius, quae mente continetur, memoria excitata sit, eiusdem facillime et vis redeat et omne momentum. Reproducta itaque per cultum Dei externum cogitatione eius, quem ille exprimit, sensus, facile animus adducitur ad nutriendas et denuo amplectendas affectiones, quae antea originem non a re externa, sed a rationis vi et cogitatione duxerant. Ita cum coetus religiosos frequentamus, coena sacra vtimur, aliosue ritus peragimus sensibus piis in Deum alendis aptos, cum nunc alios conspicimus et verbis et cerimoniis venerationis gratitudinisue sensum significantes, nunc ipsi socii vna id agimus, cuius causa aduenimus: tum ad animi cultum quasi propius adducti lubentius nos ei damus, atque in iis sensibus diutius et cum interiori animi voluptate commoramur, quos nulla re externa admoniti facilius cum ipsis cogitationibus solemus relinquere.

Aliis significare, quid sentiamus, alteram vidimus quasi partem esse finis, externo Dei cultui proponendi. Quae quidem

res ambigui nihil habet. Tota enim nititur pacto, quod de interno sensu re in facto posita exhibendo homines iniisse putandi sunt. Etenim licet ex propriis cultus interni signis (verborum elocutionibus,) satis certo intelligas, quo animo ille sit, qui iis cum maxime vtatur: tamen nec significandi consilium esse potest, nec certa signi cognitio, nec denique causa significandi satis idonea, si non ante paciscendo de his omnibus fuerit constitutum. In huiusmodi autem cultu externo facile videmus nihil requiri, nisi vt res, quae signi loco sit, vere peragatur, vt vel tota mente aliquis a sensu interno alienus, tamen nec pacto nec rei ex pacto significandae deficiat. Aliud est quaerere, num bene agant, qui simulent sensus, vt alios fallant; quod equidem in nulla re ausim approbare. Ratio enim moralis simulatorem quemuis odit, atque tum demum cultus Dei externus probabitur, cum ex animo fluet sincero ac honestatis amante. Quamquam, qui virtutem non curat, Deum etiam animo colere haud potest.

§. 5.

Quorum omnium supremum iudicium rationem moralem, summam nullius non rei arbitram, sibi vindicare, mirum non videbitur ei, qui omnem Dei cultum externum in actionibus cerni intelligat, illis quidem ex lege morali numquam non iudicandis. Vt vero, qualis sit rationis practicae de cultu Dei externo sententia, comperiamus, tam ad eius naturam, quam ad finem respiciendum est; etenim si Deum agendo colere iubemur, officii causam aut in rei ipsius aut in finis ei propositi necessitate quaerimus.

Primum autem, cum ne ad internum quidem cultum absoluta legis necessitate adstringamur, quomodo externus, animi sensum referens, simpliciter exigi possit, equidem nullus intelligo. Accedit, quod ipsa vtriusque coniunctio in rei natura posita siue interna non est. Voluntate enim, non necessitate ab animi sensu ad actiones nos damus eum interpretantes; ac si vel sanctissime ratio iuberet, animo colere naturam perfectissimam, tamen haec non videretur esse causa sufficiens, de actionibus isti

cultui exprimendo propriis certi quidquam constituendi. Quamobrem licet aliquis ab externo omni cultu abstineret, nihilominus tamen vir optimus cogitari posset, sensuque erga Deum honestissimo repletus; non enim officii immemor esset, vel ea negligeret, quae natura ab ipso exigere videatur; sed rem *per se* arbitrio relictam nulla iam ratione desiderari putaret.

§. 6.

At nemo non intelligit, esse omnino aliquod externi cultus officium posse, modo ne ab ipsius natura repetatur. Erit ergo in fine cultui proposito illius causa quaerenda, ita quidem, vt aut singuli sibi eum necessario appetendum iudicent, aut legem, quae eum sequi iubeat, ab alio praescriptam seruent. Quare et *subiectiuam* et *obiectiuam* cultus externi necessitatem cogitari posse existimamus.

Vt autem cultu externo obseruando tibi consuli putes, necesse est eius vim ad tuum animum cognoueris. Qui si extinctam fortasse erga Deum pietatem denuo animare possit, si forte vnum medium supersit, quo neglecto de omni et cultu interno et religione et pietate desperandum sit: momentum habeas externi cultus experientia cognitum, atque variam eius in animi sensibus iuuandis efficaciam. Etenim in variis hominibus ea maxime varia reperitur, ita vt alterius nihil intersit eius rei, quam alter haud vnum facile diem desideret. Itaque quo magis tibi salutares esse cognoueris actiones ad Dei cultum referendas, eo magis ad te pertinebunt; si prosunt, iis operam dare suadebo, si solae prodesse possunt, iis adstrictum te esse contendam. Tum enim necessaria tibi erunt bonae cuiusdam rei consequendae media, quae cum ipsa probentur, atque vim maximam habeant ad virtutem omnem adiuuandam, ratione ipsa, licet non simpliciter, desiderari dicentur. — Ceterum non possum non profiteri quod sentio, haud facile esse hominem ita probum, cui perinde sit, operam det Dei cultui externo, nec ne. Intelligo autem eam inprimis eius partem, qua animi sensus simpliciter significatur, eiusque expositiones eas, quas precum nomine, (illo vix satis commodo), complectimur. Sit venia dicto:

at equidem vix puto, virum satis pium esse posse eum, qui nunquam fecerit ad Deum verba.

§. 7.

Obiectiuam cultus externi necessitatem a lege externa pendere vidimus. Quae si ab hominibus lata est, quibus ius competat leges nobis scribendi, rursus res redit ad paçtum, quo, quid praestandum sit, a qua re abstinendum, constituatur. In quod qui consenserit, ei officium incumbit, quae illud exigat, si liceant, peragendi; neque amplius quaeritur, qualis sit societatis (de cultu paciscentis) appellatio, qualis auctoritas; sufficit hoc esse decretum, promissis standum est. Igitur vbi vel ciuitatis, vel ecclesiae, vel alius cuiusuis societatis conditoribus visum fuerit, proprii finis causa eam sancire legem, vt, qui dici velint ad ipsorum coniunctionem pertinere eiusque commodis frui, certos cultus diuini externi ritus obseruent: officium erit cuiusuis membri societatis, quod aut clara voce aut tacito consensu approbauerit, id aeque sancte colere, ac si lex ipsa moralis imperasset. Ergo cultus diuinus externus tum omnino poterit esse necessarius, cum pertinebit ad finem bonum societati humanae propositum legibusque sancitum, cuius nos velimus esse participes.

Poterit vero etiam Dei causa, cui supremum concedendum esse de tota natura arbitrium, haud facile quisquam negabit. Quod si itaque reuelatione edocti scimus, Deum cultus interni aliqua signa a nobis postulare, (quod qui non possit, non intelligo): nemo adeo temerarius erit, qui contendat, ab eius lege nos eximi posse, qui legis ipsius moralis auctor agnoscatur. Verum et hic probe tenendum est, haud quidquam cogitari posse a Deo esse imperatum, nisi quod ipsius sanctitati rationique nostrae morali ad illam formatae totum conueniat.

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id432299912/42 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Haec hactenus. Expositis enim iis, quae de cultus diuini et natura et pretio disputare sumseram, iam trado libellum viris, quorum causa eum scribendum putaui. Quem etsi non ignoro, si per temporis rationem licuisset, multis et mutandis corrigi et addendis fortasse ornari potuisse: tamen confidentius eum iussi palam fieri propterea, quod non tam docendi quam discendi causa et editus esse et defendi sciatur.

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id432299912/43 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id432299912/44
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG